

salutem tum immediate tum mediate. Immediate est status gratiae; mediate est id quo status gratiae obtinetur, puta, fides, baptismus. Nunc de his loquimur: disputamus enim de eo, quod est necessarium ad obtinendam remissionem peccati, seu iustificationem post baptismum.

Quod est medium necessarium ad aliquem finem, si presse loqui velimus, actu et re ipsa adhibendum est pro finis consecutione; quatenus enim sine illo existente finis potest obtineri, patet ipsum non esse medium necessarium. Verum non hac pressa significatione accipitur a theologis id quod dicitur medium necessarium, seu, quod perinde est, necessarium necessitate medii. Intelligitur scilicet illud quod pro salute assequenda vel iustificatione necesse est ut aliquo modo adhibeatur sive re scilicet sive voto. Nam vel propter hoc tantum differt ab iis quae solum vi praecepti necessaria sunt: cum enim haec usurpanda forent et possibilis tamen non est eorum usus, haud requiritur ut votum eorum habeatur, desinitque obligatio praecepti.

V. Iam vero subiectio peccatorum fidelium potestati clavium qua necessitate necessaria est? Ex institutione Christi constant haec duo: 1^o necesse esse fideles, qui graviter peccaverint, subiici huic potestati ut suorum peccatorum veniam consequantur: 2^o ab hac obligatione non liberari eos, qui ex opere operantis fuerint iustificati, et idcirco oportere ut iidem in actu caritatis vel contritionis, quo iustificantur, implicite saltem admittant libere hanc obligationem velintque ei facere aliquando satis, quod est habere votum eiusdem realis subiectionis. Haec duo certa sunt ex demonstratione praecedente. Haec vero si teneas, tenes id quod Ecclesia hac in re docet: sub iis enim formulis distinctis scholae *necessitatis medii* aut *necessitatis praecepti* non habemus definitiones Ecclesiae. Sed docemur « Sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum esse necessarium, sicut necessarius est nondum regeneratis ipse baptismus » (Trid. Sess. XIV, cp. 2^o) et « etsi contritio caritate perfecta hominem Deo reconciliat priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam » (ibid. c. 4.).

Verum quoniam quod est huiusmodi, ut iam monuimus, necessarium dicitur necessitate non solum praecepti, sed medii; sequitur hanc subiectionem, qua de loquimur, necessariam esse necessitate medii.

Adverte eos theologos a nobis non dissidere, qui docent necessitatem subiiciendi se clavibus esse tantum praecepti, eo quod pendeat a libera lege Christi. Id enim volunt dicere quod origo huius ne-

cessitatis sit institutio aliqua positiva Christi. Quia vero, ut vidimus, Deus instituere libere quoque potest medium pro fine consequendo, hinc non consequitur haberi solum necessitatem praecepti. Et ea institutio potest quidem dici lex positiva Dei, si hoc nomine significetur institutio Dei libera, si vero nomine legis significetur institutio solum moralem obligationem inferens, institutio subiectionis potestati clavium non est tantum lex, sed et institutio medii. Cf. Vasquez in III. p. q. D.

VI. Merito tamen quis postulare potest ut ostendamus quod hac posita institutione Christi nihil sit reapse detractum vi caritatis aut contritionis. Id vero haud difficile demonstratur. Nam advertendum est quod per illum eundem actum caritatis aut contritionis, quo remissio statim obtinebatur ante institutum Sacramentum, etiam modo in nova oeconomia obtinetur, quin alius actus sit necessarius; ergo eadem vis, quae caritati aut contritioni prius competeat, etiam nunc manet. Probat Antec. Etenim ut actu obtineatur nunc remissio peccatorum, non requiritur praeterea nisi votum Sacramenti: hoc autem votum non est actus distinctus ab ipsa contritione; est enim voluntas faciendi quod Deus vult, quae ad contritionem spectat, est enim pars propositi; eademque est in se ac illa voluntas, quae prius necessaria erat, *terminative* tantum differens: sicut enim haec voluntas prius referebatur ad ea omnia, quae ex lege naturae aut institutione Dei facere aut velle oportebat pro obtinenda remissione peccatorum, puta quaedam sacrificia pro peccatis, ita modo posita institutione Sacramenti, ad ipsum non ad alias institutiones abolitas refertur, ipsumque complectitur. Obligatio vero confessionis, quae manet, non suspendit efficaciam contritionis, statim enim iustificatio confertur. Consequens vero est evidens, cum effectus ab eodem actu nunc, non secus ac antea, procedat.

Quaenam ergo est mutatio a Christo inducta. Cum Christus Ecclesiam suam condens, societatem instituerit immediate ordinatam in finem ultimum eumque supernaturalem, atque hanc societatem proinde auxerit auctoritate supernaturali idonea ad hunc finem promovendum, voluit, quod huic institutioni congruebat, ut ea auctoritas ad animas quoque immediate se porrigeret, non solum quatenus in eius potestate posuit administrationem generatim Sacramentorum, quibus animae sanctificantur, sed quatenus speciatim iurisdictioni eiusdem auctoritatis animas fidelium subiecit, qui remissionem consequi deberent suorum peccatorum, speciali ad hoc instituto Sacramento Poenitentiae. Sic bona propria huius societatis quae sunt dona divina interiora sanctificantia, ministerio huius auctoritatis concredita sunt, sic penitus tum exterius tum interius subordinantur fideles

huic divinitus institutae auctoritati, sic ista auctoritas perfectius exprimit auctoritatem Christi, cuius est delegata, atque mirabilis dignitas accedit Ecclesiae, in qua potestas residet et sanctificandi animas et remittendi peccata. Haec omnia profecto cedunt et in honorem Dei institutoris tam excellentis societatis, et in bonum fidelium, pro quibus ipsa potestas ecclesiastica est instituta; quo fit ut si qua difficultas nova occurrat in N. T. pro consecutione remissionis peccatorum, praeterquam quod ipsa per gratiam propriam N. T. fieri potest levis, et pluribus aliis bonis aliunde compensatur, quoniam ea consequitur ad ipsam naturam absolutamque perfectionem Ecclesiae ecclesiasticaeque potestatis, quae primario intenditur pro bono quoque fidelium, eius difficultatis ratio nulla sit habenda. Ut igitur quaestioni faciamus satis, mutatio a Christo inducta quoad efficaciam contritionis in eo est quod efficaciam contritionis Christus subordinaverit clavibus non hoc pacto quod esset conditionata remissio, sed hoc pacto quod voluerit contritionem valere, quatenus ipsa votum etiam huius subiectionis continet (nec fieri potest ut in praesenti oeconomia non contineat), et ita ordinem dicit ad claves, quibus proinde peccata etiam deleta per contritionem subiicienda sunt, cum fieri potest, ut directe remittantur: atque hoc pacto poenitens contritus clavibus subordinatur.

Cui autem in hac hypothesis asserenda est vis iustificandi seu disponendi immediate ad iustificationem? Cum quis per caritatem vel contritionem cum voto sacramenti iustificatur, iustificatur per opus operantis, opus vero operantis est ipsa caritas vel contritio, eaque sola, quae inclusum continet votum sacramenti: etsi enim hoc votum explicite fiat, spectat reapse ad propositum, quod est elementum contritionis, et virtute saltem semper in caritate et contritione continetur. Est ergo contritio, quae iustificat. Porro si distinguantur haec duo, contritio, quae per se posset esse sine eo speciali voto, quemadmodum erat ante institutum sacramentum, atque votum Sacramenti; primo advertendum est quod haec distinctio realiter nequit fieri in hac oeconomia: qui enim vel nollet suscipere sacramentum a Christo institutum, vel cuius caritas aut contritio implicite non contineret hoc votum, ipse reapse nec perfecte diligeret Deum, nec peccatum detestaretur; omnis enim amor Dei et omne odium peccati est hoc ipso etiam voluntas faciendi quod Deus vult et cavendi ab opposito. Adhibita vero distinctione rationis si quaestio fiat utri praecipue adserenda sit causalitas iustificationis, dicendum est potiores partes vindicare sibi contritionem; nam ea per se par est iustificationi obtinendae ac potest iustificare sine eo voto, sicut iustificabat ante institutum Sacramentum: desiderium vero sacramenti

per se solum non potest iustificare; secus enim et attritus et quicumque proponit Sacramentum recipere, iam iustificaretur. Quare contritio se habet nunc, sicut se habebat prius, ante institutionem Sacramenti, ut causa vel proxima dispositio; votum vero illud, ut conditio sine qua non habetur iustificatio. Nempe ratione illius voti contritio in hac quoque oeconomia, in qua potestas clavium est instituta, acceptatur ut medium sufficiens pro iustificatione assequenda. Quare hoc votum seorsim sumptum non est id proprie quod suppleat vices Sacramenti; ipsum enim per se solum nequit praestare effectum Sacramenti; sed est id quo contritio supplet vices Sacramenti, nam sine ea contritio non praestaret effectum, quem per se Sacramentum praestare potest sine contritione. Quocirca dicendum quod remissio peccati datur etiam per Sacramentum in voto, quatenus illud votum in ipso actu contritionis inclusum ponit subiectionem illam ad potestatem clavium, quam Deus exigit pro conferenda remissione. Votum enim istud non est tandem nisi huiusmodi subiectio.

VII. Sic expedita scholastica declaratione necessitatis subiectionis huius, quam volumus immediate subiicere demonstrationi ex Scripturis, restat ut idem breviter auctoritate Traditionis demonstremus.

Ecclesia antiqua, ut probavimus praeced. Th. exercuit potestatem remittendi peccata coram Deo. Ita autem hanc potestatem exercuit, ut praxi sua ostenderit certum sibi esse obligatione fideles peccatores obstringi se subiiciendi eius potestati, ut peccatorum suorum veniam consequantur. Atque id patet sive spectetur doctrina tradita Ecclesiae regentis, sive praxis universorum fidelium.

Doctrinam Ecclesiae exhibet s. Leo epist. CXVIII. ad Theodorum episc. inquit: sic divinae bonitatis praesidia ordinata esse, ut *indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri*. Exhibet Augustinus reprehendens eos, qui in occulto poenitentiam se agere dictitabant. Serm. CCCXII. « Nemo sibi dicat: occulte ago poenitentiam, apud Deum ago, novit qui mihi ignoscat, quid in corde ago. Ergo sine causa dictum est; *quae solveritis in terra etc.*? Ergo sine causa claves datae sunt Ecclesiae? Frustramus Evangelium Dei, frustramus verba Christi? » Ubi vides occultam poenitentiam, quaecumque ea sit, licet perfecta, nam Augustinus non distinguit, non liberare hominem ab obligatione se subiiciendi clavibus. Cf. praeterea testimonia, quae afferemus ubi de necessitate confessionis disputabimus.

Ad praxim quod spectat, constat 1^o Ecclesiam antiquitus plures edidisse canones poenitentiales, quibus pro auctoritate conditiones Ecclesia constituebat, quas servari a fidelibus oporteret, ut certorum criminum veniam a Deo per ministerium suum consequerentur:

2° has conditiones non statuisse cum hac limitatione, si nempe fideles vellent uti hoc speciali medio ad remissionem obtinendam peccatorum, exercitio nempe suae potestatis; sed simpliciter omnes quoscumque ea crimina peccantes iis conditionibus obligasse, si vellent, quod certe velle debebant, consequi remissionem suorum peccatorum coram Deo: 3° illis conditionibus non servatis et negatam fuisse reconciliationem per ministerium Ecclesiae, et creditum fuisse negari eam quoque a Deo, unde et altaris participatio negabatur. Atqui praxis haec ostendit Ecclesiae persuasum fuisse quod usus suae potestatis sit necessarius fidelibus omnibus etiam contritis pro consequenda remissione peccatorum. Si enim Ecclesia censuit (alterutrum vero censere debuit), esse liberum fidelibus uti eo medio, nullamque esse legem Dei, qua ad id obligarentur, ac contritos saltem eximi ab hac obligatione, et idcirco posse fideles alio medio independentem a sua potestate consequi remissionem peccatorum suorum, Ecclesia non censisset indignos esse communionem dominicam eos, qui illis suis legibus non fecissent satis: atque leges illae fuissent latae praeter auctoritatem Ecclesiae concessam a Deo; in negotio enim remissionis peccatorum coram Deo Ecclesia nihil potest nisi ex divina delegatione, et non potest efficere ut inutile sit aliquod medium, quod Deus voluit esse sufficiens, quemadmodum nequit efficere ut contritio perfecta non sit dispositio sufficiens ad iustificationem: ergo.

Constat 4° Fideles, qui in crimina lapsi essent, cum periculum mortis urgeret, petivisse ab Ecclesia veniam et reconciliationem, eamque veniam, quae per actionem poenitentiae dabatur, petivisse sollicite et vehementer; abhorruisse quidem plures a labore poenitentiae, nunquam vero excepisse (exceptione, quae rationabilis visa sit, cf. testimonium Augustini in parte praeced. citatum) iniuste ab Ecclesia conditiones statui pro concedenda reconciliatione, et posse se, citra ministerium Ecclesiae, veniam consequi suorum peccatorum. Patent haec ex testimoniis Caelestini et Leonis citatis in praeced. thesi et ex historia poenitentiae canonicae priorum seculorum et ex epistolis s. Cypriani, quae ad lapsos spectant. Non pauca quidem ex his immediate spectant ad ea crimina, pro quibus publica poenitentia agenda erat, quae erant crimina graviora et manifesta; at si necessarium fuit Ecclesiae ministerium pro remissione eorum, dicendum est habitum fuisse necessarium pro ceteris quoque peccatis; nam unicum discrimen inter haec et ea graviora crimina in hoc positum erat, quod pro his certa esset statuta et publica poenitentia agenda, pro reliquis permitteretur arbitrio sacerdotis excipientis confessionem determinatio poenitentiae.

Audiatur loco omnium Augustinus, qui epistola CCXXVIII ad Honoratum docens non esse Episcopo et clericis fugiendum in persecutione, cum plebs manet, quae careret ope et ministerio sacerdotali, id probat quoque hoc argumento: « An non cogitamus, cum ad istorum periculorum venit extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu et ab omni aetate concursus, aliis baptismum flagitantibus, *aliis reconciliationem, aliis etiam poenitentiae ipsius actionem*, omnibus consolationem et Sacramentorum confectionem et erogationem? Ubi si ministri desint, *quantum exitium sequitur eos, qui de isto seculo vel non regenerati exeunt, vel ligati?* quantus est etiam luctus fidelium suorum, qui eos secum in vitae aeternae requie non habebunt? *Quantus denique gemitus omnium, et quorundam quanta blasphemia de absentia ministeriorum et ministrorum?* » Habes hic *actionem poenitentiae ipsius*, quae est ritus quo poenitentibus confessis dabatur absolutio sacramentalis, ut probabimus in App. §. II. Certe omnes hi, de quibus Augustinus loquitur, petebant Sacramenti alicuius confectionem: illi ergo quoque, qui actionem poenitentiae petebant, petebant aliquod Sacramentum. Qui vero flagitabant reconciliationem, flagitabant sacram communionem, quae in ea dabatur. His addenda sunt quae afferemus cum disputabimus de necessitate confessionis. Nunc enim tantum statuimus necessitatem subiectionis: quo autem modo poenitens se subiicere debeat clavibus, postea disputabitur.

THESIS XI.

Quocirca potestas haec collata a Christo Apostolis remittendi et retinendi peccata est potestas praesidis et iudicis.

1. Ita a Tridentino appellatur huiusmodi potestas Sess. XIV, cp. 5. Ait enim Dominum nostrum Iesum Christum e terris ascensurum ad caelos reliquisse Sacerdotes sui ipsius vicarios, tanquam praesides et iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur. *Praeses* qui et *praetor* (cf. Forcellini v. praetor) ille dicitur qui iuri dicundo praeest, qui nempe vel lites inter litigantes definit, vel quaestiones criminum decernit poenasque statuit; idque ex auctoritate, h. e. ita ut sententia sua vim obligandi habeat, et etiam vim solvendi aliquem ab obligatione. Eius proinde sententia est practice efficax quoad ius, quod asserit aut negat. Idem *iudex* appellatur non quidem arbitrarius, sed *necessarius*, a suprema nempe potestate constitutus (nisi sit is qui suprema pollet potestate) in societate, cui